

tum priorem suam cæcitatem manifestare nequam erubuisse: « Non puduit cæcitatibus. » Jansenius, cap. LXXVIII, ait: « Aliis dissentientibus, et miraculorum ignorantibus ipse cæcus libere et intrepide, quemadmodum gratum decebat, omnem confitebatur veritatem, neque veritas suam confiteri cæcitatem et mendacitatem. »

6. — Idem quoque Auctor notat hanc contraversionem circa hujus cæci illuminationem exortam ad majorem cæssisse Dei gloriam, majoremque miraculi manifestationem; siquidem minime contenti quod interrogassent hac de re vicinos, ipsum quoque interrogare non omiserunt: « Quodque ille etsi conscius suæ paupertatis, nihil vereretur apud potentes et magni nominis hostes Jesu, simpliciter et constanter, ut res habebat, narrare, quod in se gestum erat. » Unde de ipso asseri potest quod in libris Machabeorum, II, III, 37, scribitur: *Testabatur omnibus ea, quæ suis oculis viderat, opera magna Dei.* Eandemque ob causam Albertus Magnus illum duobus hæc epithetis nobilissimis honorat, dum dicit, quod fuerit: « Immobili veritatis confessor, et constans athleta veritatis. *Ectli.*, IV, 33: *Pro justitia agonizare pro anima tua.* » Rupertus Abbas, *ibid.*, ipsum primum fuisse estimat omnium illorum, qui Christi fidem athletice defenderunt: « Quia videlicet licet primus omnium mortalium pro Christo questionibus pulsatus, et persecutionem passus est; tandem ejus confessionem ulterius ponderans, hæc in ejus laudem verba scribit: « Illuminatus sui gratiam confitetur fortis in laboribus, victor in persecutionibus, oportune volentibus, importune nolentibus prædicans. » Chrysostomus populam una cum Phariseis conjunctum unanimiter illi contrarios fuisse notat; et tamen « neque populi furore veritus est. » S. Thomas eum aliam ad tam excellens et præclarum beneficium compensandum non habuisse monetam dicit: « Quam quod constanter confiteretur se a Christo curatum. » Jansenius ait: « Neque metuens Jesum, nomen, quod Judæis scribit esse exosum, apud omnes prædicare. » Coram vicinis, coram parentibus suis, coram Phariseis, imo coram unoquoque Christum et veritatem Apostolica libertate confessus fuit: « Observandum est in cæco isto, » inquit idem Jansenius, « quanta sit veritatis vis, quamque hæc fortes et intrepidus facit, etiam eos, qui aliquando quovis metuerebat. » Toletus hoc ipsam, quod est esse confessorem et præconem veritatis, præter receptum oculorum lumen, novum esse beneficium existimat: « Hoc etiam præter visum receptum, novum est Dei beneficium, ut tanta fiat prædicator veritatis. »

7. — Salmeron sensum exprimit, quem cæcus in responso suo intendit, nimirum dicere voluit, inquit ille: « Ego sum peccator ille, qui tantum be-

neficium a Domino accepi. » Unde hoc pro nobis elicit utilissimum documentum: « Oportet etiam non tantum coram vicinis et notis, sed etiam coram inimicis et Phariseis, Dominum nostrum aperte profiteri; nam qui se erubuerit, et meos sermones, hunc Filium hominis erubescet. » Apostolus quoque dicebat: *Non erubescite Evangelium.* Similiter S. Petrus ait: *Ut Christianus non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine.* Jansenius aliud quoddam tradit documentum, quod cæcus iste suo nobis exemplo post se reliquit: « Docens Dei beneficia nobis exhibita non esse recitanda, sed palam a nobis, cum opportunum fuerit, prædicanda, etiamsi necesse sit hoc fieri cum confessione alicujus, quod apud homines est, aut habetur ignominiosum. »

8. — Salmeron mendicitatem et miseriam hujus cæci considerat, qui tametsi omnibus despicabilis esset, a Christo tamen ad ejus divinitatem exaltandam et magnificandam adhibitus fuit: « Observandum, quales Christus suæ gloriæ et sui nominis patronos eligere voluit, contra potentissimos sui nominis calumniatores. In isto exemplo editum est, quomodo per pauperes et indoctos nomen suum prædicandum esset in universo mundo, et obtinendum eos omnium, qui contra illud loquerentur iniqua. »

## VERSUS 10.

*Dicebant ergo ei: Quomodo aperti sunt tibi oculi?*

1. — Idem quoque Auctor scribit, quod Pharisei videntes nullum sibi modum superesse, quo hoc possent calumniari miraculum: « Modum ejus nature humanæ imperscrutabilem temerarie et curiose inquirent, ita ut prope excecarentur in ejus visu et lumine; nam qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria. » Vaticinii Isaie merito memores esse debuissent, qui de venturo Messia loquens promiserat, xxxv, 5, dicens: *Tunc aperientur oculi cæcorum.*

2. — Albertus Magnus inquit: « Hoc ideo que runt, quia si malagma aliquod apposisset, tunc ei non adscripsissent; ex modo volebant ostendere, quod esset maleficus et divinus. » Toletus nonnullos cæcos reperiri scribit, qui salvo visus organo et instrumento cæci existunt, quorum tamen potentia visiva propter aliquam organum imperiam aut impedita est, aut destructa, in hoc autem cæco defectus omni ex parte erat, nullo qui præter oculorum concavitate nihil habebat: « Etiam organum ipsum deerat, hoc enim luto restauratum est; unde Cyprianus, *lib. de bono patientiæ*, dicit: Christum luto formasse oculos, quod miraculi magnitudinem maxime commendat. » Tametsi igitur ad lumen hæc oculis subministrandum nullum posset pertinere humanum

remedium, malignitas tamen hominum tanto miraculo detrudere, illudque modis omnibus calumniari satagebat; at vero, ut Jansenius dicit: « Quo magis huic miraculo detrudere studuerunt, hoc magis reddiderunt illustre. »

## VERSUS 11.

*Respondit ille: Homo, qui dicitur Jesus, lutum fecit, et unxit oculos meos, et dixit mihi: Vade ad natatoria Siloe, et lava, et abii, lavi, et vido.*

1. — S. Cyrillus Alexandrinus cæcum hunc nondum perfectam Christi notitiam et lumen sibi comparasse existimat; dicit enim: « Ignorare quidem adhuc videtur Servatorem naturæ suæ esse Deum; neque enim tam exiliter et demisse de eo locutus esset. » Jansenius ignorantiam hanc ad majorem Christi gloriam reservatam fuisse observat, dum ait: « Jam gloriæ Dei etiam inservit, quod cæcus necierit ubi esset Jesus, nec illum agnovit; sic enim omnis suspicio tollebat, ut videri non posset ad gratiam loqui. » Toletus ait: « Brevisimis et compendiosis verbis totam narrat historiam, et plus quam interrogaretur, respondet. » Illi etenim solum inquirebant de modo quo oculi ejus aperti fuerant, ipse vero non solum modum hunc refert, verum insuper hujus tam stupendi prodigii manifestat auctorem: « Quod et animi grati, et novam illorum interrogationem impedire volentis fuit. »

2. — Quærit hoc loco Theophylactus: « Unde cognovit illum quod Jesus esset? » Et respondet: « Ex colloquio ad discipulos. » Unde patet quante sit veritatis, quod per os Psalmistæ Spiritus Sanctus, Ps. cxviii, 105, ait: *Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis.* Et alibi: *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Ipse vero cæcus, et non surdus erat; et ideo discursus quem cum Christo et Apostolis ejus habuit, id in ipso effecit ut lumen fidei et Christi Salvatoris assequeretur agnitionem: *Ille homo, qui dicitur Jesus.*

3. — Certum quidem est, quod lutum a Christo preparari videri nequiverit, sicut forsitan spatium exereari ab illo audivit: « Sed lutum factum, et oculis superpositum, » inquit S. Thomas, « per sensum tactus didicit; et ideo non dixit: *Lutum fecit ex spato*, sed simpliciter *lutum fecit, et unxit oculos meos.* » Cajetanus inquit: « Spuere illum in terram, sensu auditus percepit, facere autem lutum, relatione ipsius, aut assistentium discipulorum cognovit. » Qui idem purpuratus Pater totum discursum, quem ipsum inter et Redemptorem ac discipulos ejus intercessisse valde est verisimile, a S. Joanne descriptum non esse existimat: « A ratione siquidem humana alienum est, quod res sic nude gesta sit cum solis verbis Evange-

listæ. » Unde dici posse arbitratur, cæcum hunc, dum lutum oculis suis superimponi sensit, principio quidem indignatum fuisse; at vero postquam ei facti hujus apertum est mysterium, ei non solum acquiescisse, verum etiam ultro executum fuisse, quicquid a Christo impositum fuerat.

4. — Hoc loco quoque ad id nos reflectere possumus, quod de Christo, Act., x, 38, scriptum sit: *Pertransiit benefaciendo et sanando omnes;* quod miraculorum ejus fama omnibus nota et manifesta erat, et tamen ab eo petierunt quisquam ejus aperisset oculos; et quidem tametsi quisnam ille fuerit, totaque prodigiosi hujus miraculi notitiam distincte satis perceperint, in eum tamen non crediderunt; id quod tamen nulli mirum videri poterit, qui nullum Principium in eum credidisse considerat: *Numquid ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariseis? sed turbo;* hujus etenim mundi magnates, et qui ex scientia, qua pollent, intimescunt, Dei lumine ut plurimum carent, quod et contra abunde subministratur illis, qui tribulationibus et afflictionibus immergi herent, qualis pauper hic cæcus natus erat: *Ille homo, qui dicitur Jesus, etc.*

## VERSUS 12.

*Et dixerunt ei: Ubi est ille? ait: Nescio.*

## VERSUS 13.

*Adducunt eum ad Phariseos qui cæcus fuerat.*

1. — Lucas Brugensis acute considerat Christum Dominum minime solum fuisse diu in eo morari loco, ubi miraculum aliquod operatus fuerat: « Ne plausu gloriæ popularis delectari videretur. » Chrysostomus proinde dicit: « Intuere Christi humilitatem, curatos dimittebat, non digito monstrari volebat. »

2. — S. Cyrillus Alexandrinus, *lib. VI in Joan.*, ait: « Non amore erga Deum, neque benevolentia Jesum quærunt, sed neque et ubi, et apud quos diversetur, scire student, ut adentes eum, aliquid quod ad salutem conducatur, postulent; verum excecata mente multo deterius, quam ille quondam corpore, ira injustissima accenduntur. »

3. — S. Thomas, in *Joan.*, rationem assignat, quare Pharisei eum convenerint, nec non cur ab eo ubi Christus moraretur, interrogarint: « Ut si eum invenissent, ducerent eum ad Phariseos, qui dammandum propter solutionem sabbati; quia vero Christum non habuerunt, ducunt cæcum, et eum vehementius interrogantes, cogant importunitate, vel timore aliquid falsitatis contra Christum confingere. »

4. — S. Cyrillus Alexandrinus, *ibid.*, denique notat, illos non quævisse de hoc miraculo eo fine,



ut de miraculi in ipsius persona patrati certitudine assecurarentur : « Sed ut reum faciant violatæ legis Dominum, qui lutum in sabbato fecisset, « nullam enim rationem habentes stupendi miraculi, factum pro crimine arripiant. »

## VERSUS 14.

*Erat autem sabbatum, quando lutum fecit Jesus, et aperuit oculos ejus.*

1. — Sacer Evangelista non sine mysterio sabbatum fuisse scribit, quando Filius Dei massam illam fecit luteam obtenebratis hujus cæci oculis superimponendam : « Legale mandatum, » inquit S. Cyrillus Alexandrinus, « de sabbato rati a Servatore esse violatum, in rabiem non mediocrem aguntur, quod omnino lutum tangere ausus sit, « et terram digito terere, quodque homini ut ablueret se, præcepit. » Nesciebant utique, vel saltem scire volebant, in diebus festis solum ab operibus servilibus abstinendum nobis esse, non vero ab operibus Dei. « A servili opere peccati, » inquit Rupertus Abbas, « semper vacandum, ab opere autem Dei nunquam vacandum est, nec sabbato, si rite perspicias, ab opere suo cessavit Deus. » Hunc cæcum Christum in sabbato, id est, in die festo illuminare constituit, quia in diebus festis specialiter a Deo lumen acquirimus per sacrificia, per orationes, per confessiones et communionem, per verbi Dei auscultationem, et assiduum divinatorum officiorum assistentiam.

2. — Theophylactus ipsorum detegit malitiam, qua sub prætextu violati sabbati, et per accusationem ejus tanquam transgressoris diei festivi, miraculi a Christo patrati gloriam obfuscare nitentur; non igitur movebantur ex zelo gloriæ Dei, sed ex invidia, quia prædicti miraculi gloriam et famam sustinere non poterant.

## VERSUS 15.

*Iterum ergo interrogabant eum Pharisei, quomodo vidisset? Ille autem dixit eis: Lutum mihi posuit, etc.*

1. — Curatationis modum curiose denuo sciscitantur, inquit S. Cyrillus Alexandrinus, « vehementiorem in seipsis quodammodo invidiæ flammam accendentes. »

## VERSUS 16.

*Dicebant ergo ex Phariseis quidam: Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit; alii autem dicebant: Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? et schisma erat inter eos.*

*Dicebant ergo ex Phariseis quidam: Non est hic homo a Deo qui sabbatum non custodit.*

1. — Jansenius, cap. LXXVIII, Phariseorum isto-

rum malignitatem hunc in modum describit : « Quidam ergo Phariseorum pro ingenio hominum desperatorum tam inaniditæ divinæ potentia miraculo adeo non poterant moveri, ut de Domino melius sentirent, ut mox ex diei religione mutarent occasionem calumniandi, factum plane divinum, quod diei religionem docebat, atque commendabat. » Toletus ipsorum ignorantiam pariter et malitiam inculpat, dum ait : « Attende insipientiam et malitiam. » Etenim ex hoc Christo miraculo duas deducere poterant consequentias. Prima est : hic homo mendico a nativitate cæco lumen impertitus est, quod nunquam habuit; ergo ipsum a Deo esse convenit credere; ipsi vero aliter concluderunt, per hanc videlicet consequentiam : hic homo in die sabbati parum luti fecit, ut hunc cæcum natum videntem redderet : « Ergo non est a Deo. Quis est tam judicii expertus, qui non videat priorem consequentiam esse fortiozem multo et potentiozem quam posteriorem? nam ex tanto facto multo verius concluderetur esse a Deo, quam quia parum luti confecti, non esse a Deo, « esto fuisset in majori quantitate. » Etenim medicis licitum erat, ut in die sabbati pro salute corporali incerta componeret medicamenta et tamen volebant, ut coelestis hic Protomedicus pro dando hinc cæco lumine corporali pariter et spiritali, medicum quid componeret luti. Ac proinde S. Cyrillus hunc illorum superstitiosum zelum hisce verbis deridet : « Totam legem violatam credunt, « propter unius digiti motum in sabbato, cum interim ipsi quoque bovem a præsepio solverent, « et aquatum duerent, et pecudem, si in foveam incidisset, sicut scriptum est, magno conatu retraherent. » Lucas Brugensis hanc illorum superstitionem, qua tantopere excecabantur, ipsos æterna cæcitate dignos effecisse existimat : « Clamabant opus esse indignum, sabbato pauxillum luti adhibuisse oculis cæci ut illuminaretur, ipsi digni perpetua cæcitate. »

2. — Ipsi proinde demonibus haud dubie fuerunt longe deteriores, qui confessi sunt Christum esse Filium Dei. *Marc.*, 1, 24 : *Quid nobis et tibi, Jesu? scio qui sis Sanctus Dei.* *Matth.*, xviii, 29 : *Quid nobis et tibi Jesu Fili Dei?* Hi vero non solum adeo fuerunt temerarii, ut assererent : *Non est hic homo a Deo, verum insuper in horrendam illam proruperunt blasphemiam, qua dixerunt : Scimus quia hic homo peccator est.* Ecce tibi igitur, qualiter invidia hominis, ipsiusmet etiam demonis malitiam longe excedat. De Christo Domino dicitur : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem; lux sum mundi.* Advertendum est autem quod unica eademque lux alio modo illuminet adamantem et alio modo lutum; cujus ratio est, quia hoc ad lucem recipiendam nequaquam est bene dispositum; hanc autem optimam dispositionem vera illa lux in cor-

pore et anima cæci hujus invenit, utpote qui se erga Christum adeo gratum et pium exhibuit, e contra vero Scribarum et Phariseorum durities et obstinatio in dies magis magisque crevit, ad eum fere modum, quod lutum tanto magis induratur, quanto magis a solaribus radiis irradiatur.

3. — Et quidem hæc ipsorum malignitas tanto magis elucescit, si consideretur id, quod ei posuerunt; dixerunt enim ipsum esse eum, qui sabbatum non custodit, cujus tamen nullam assignant rationem, qua id verum esse probent, quia si hanc adducere voluissent, necessario debuissent patrati miraculi facere mentionem, quod facere horrescebant : quin potius ubi motivam est laudis et gloriæ, ibi calumniandi inveniant occasionem. Unde flugo Cardinalis ipsos paralytico illi dixisse notat : « *Quis est qui dixit tibi : Tolle grabatum? Non dixerunt : Quis est qui te sanum fecit?* sed hoc bonum tacuerunt, quod eos torquebat et eam quæ estimabatur transgressionem, in medium adducunt. »

4. — S. Augustinus Salvatoris nostri partes in se defendendas suscepit, ostendendo ipsum potius sabbati sanctificationem zelasse quam illos : « Ipse potius custodiabat, qui sine peccato erat, sabbatum enim spirituale hoc est, non habere peccatum. » Denique fratres, hoc admonet Deus, quando commendat sabbatum : *Opus omne servile non facietis in eo; quid sit opus servile? Dominum audite : Omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* » Hic S. Augustini conceptus S. Bonaventuræ occasione suggestit scribendi, ut sequitur : « In hoc patet eorum excecatio; ipsi enim in sabbato detrahebant Domino, et malum contra eum machinabantur, et ita violabant sabbatum; » ac proinde Cartesianus illos in hunc modum jure merito reprehendit : « Indurati et excecati, festucam in aliis, non trabem in seipsis pensantes, atque ex beneficiis Dei pejores effecti. » Fuerunt insuper etiam mendaces, inquit idem Dionysius, Christum tanquam sabbati transgressorem accensando; quia opera externa ad honorem et cultum Dei ordinata, in hoc die licite exercebantur, sicut licebat animalia maculare et deoriare ad sacrificandum, similiter adornare templa, et alia ad honorem Dei spectantia exercere : « Factura autem luti, et unctio oculorum ordinabatur directe ad gloriam Dei, ejusque omnipotentis sublimitatem declarandam, itemque ad glorificationem Filii sui, ut verus Christus esse sciretur. »

*Alii autem dicebant : Quomodo potest peccator hæc signa facere?*

5. — « Inter omnes enim convenire oportet, » inquit S. Cyrillus Alexandrinus, « divinam legem violentibus, nunquam Deum concessurum esse, « ut aliquod præclarum et admiratione dignum efficiant. »

## Et schisma erat in eos.

6. — S. Bonaventura ait : « Nec mirum, quia erant adeo divisi, nec erant charitate uniti. » Ubi Apostolus ad Corinthios, 1 Ep., xi, 18, ita scribit : *Audite securas esse inter vos, in Græco legitur, schismata; etenim nonnunquam inter malos boni permixti reinveniuntur, qui veritatem impedit negare nequaquam ausi sunt, Psal. lxx, 3 : Quam terribilia sunt opera tua, Domine, in multitudine virtutis tuae, mentiantur tibi inimici tui.* Speciali vero Dei providentia ita ordinatum fuit, ut hæc inter ipsos gliscerent dissensiones : « Quia concordia malorum est mala. Ita., Dominus miscuit spiritum vertiginis in medio eorum et errare fecerunt Egyptum in omni opere suo. » Ita Albertus Magnus.

## VERSUS 17.

*Dixerunt ergo cæco iterum: Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: Quia Propheta est.*

1. — S. Cyrillus Alexandrinus, *ibid.*, hoc loco querit, num forte cæcus iste miraculum negando Christi gloriam obscurare potuisset? « Equidem enim potuisset convellere potestatem et vim stupendi signi, unius ingrati vox? aut quomodo non divina Christi gloria eluxisset, si forte cæcus non metu victus et periculi timore, ingratus esset erga bene de se meritum? sed invidia suos auctores ad quodvis audendum præcepit facit, « quamvis oppido ridiculum. » Lucas Brugensis eos, qui Salvatori adversabantur, spem firmam concepisse existimat, hunc cæcum timore humano prohibendum fore, ne bene de Christo illuminatore suo loqueretur : « Præsertim cum observare potuisset majorem Principum partem male de Jesu censere; proculdubio epim, si male ille de Jesu loqueretur, qui abs Jesu beneficium accepit, præjudicium foret non exiguum; » at vero cæcus ille videtur illa D. Petri lorica armatus erat, qua dum antea ejusdam ancillule voce percussus terrebarat, postea dicere novit, *Act.*, v, 29 : *Obedire oportet magis Deo quam hominibus.*

## Ille autem dixit: Quia Propheta est.

2. — Rupertus Abbas diminutam hanc cæci responsonem excusare nititur, dicendo : Minus dixit quam est. « At rudis visor veritatis adhuc erat; » Dei etenim lumen, sive status perfectioris, non simul et semel una vice, sed paulatim acquiritur : *Itant de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion.* Nemo repente fit pessimus. Sic quoque in præsentis Evangelii fine cæcum hunc reperiemus Christum adorare velut Deum, quem antea solum velut Prophetam venerabat. Nominat vero ipsum Prophetam : « Usurpans, » ut S.



Cyillus Alexandrinus ait, « id quod apud Judæos « tritum erat; mos enim illis erat vocare Prophetas « eos qui signa facerent. »

3. — Lyranus vero existimat eum non habuisse hunc de eo conceptum, ac si Propheta esset, sicut Isaias, Jeremias, vel alii similes Propheta nominantur; sed talem ipsum appellasse per antonomasiam: « Sed Prophetam antonomastice dictum, qui « erat promissus ad salutem hominum, secundum « quod dicitur, *Deuter.*, xviii, 15: *Prophetam susci-* « *tabit vobis Deus, etc.* »

## VERSUS 18.

*Non crediderunt ergo Judæi de illo, quia cæcus fuisset et vidisset, donec vocaverunt parentes ejus, qui viderat, et interrogaverunt eos.*

1. — « Intuere quot modis teneant obumbrare « miraculum, » inquit S. Bonaventura, « sed hoc « est veritatis natura, quod per quæ putatur ab « hominibus insidias pati, per hæc fortior sit, per « hæc claret, per quæ obumbratur. » Eandem quoque observationem in S. Chrysostomo reperio, *Hom. LVII in Joan.*, qui ait: « Verum hujusmodi « est veritatis natura, unde magis oppugnatur, « inde magis confirmatur et quo magis obtegatur, « eo clarior evadit; nisi enim ista facta essent, « miraculum ipsum apud multos suspectum esse « potuisset. »

2. — Lucas Brugensis per adductum Euthymii testimonium ita scribit: « Rigide interrogant, pu- « lantes eos exterrere, ut dum hi negassent, tene- « bris offunderetur miraculum. » Eandem quoque reflexionem Jansenius habet, dum ait: « Si forte « illi metu adducti, ut sunt fere timidi, quibus est « res angusta domi, aliquid diceret, quod ad mira- « culum obscurandum facere posset. »

3. — Adimpletum itaque est propheticum illud oraculum, *Psal.* x, 2, et ix, 16: *Comprehendantur in consiliis quibus cogitant; in laqueo isto quem absconderunt, comprehensus est pes eorum.*

4. — « Attende, » inquit Toletus, « quomodo « Judæi etiam nolentes divine veritati inservant, « nam et testes veritatis convocant: testimonium « enim parentes pro veritate perhibent. »

## VERSUS 19.

*Hic est filius vester, quem vos dicitis, quia cæcus natus est, quomodo ergo nunc videt?*

1. — Theophylactus ait: « Quia illius gratum « os obstruere non poterant, parentes ejus ambi- « quos reddunt, quos statuunt in medio et cum « multo furore interrogant, imo cum multa ma- « litiâ. » Quod etiam Albertus Magnus observat, dicens: « Dolosi sic quæstiones componant, ut, « quicquid diceretur, inconveniens reputaretur. »

2. — Toletus argumentum quoddam in medium adducit, quod velut Pharisæica malitiæ specimen fortiter stringit; dicit enim: « Non crediderunt, « quod valde annotandum est; si judicarent sab- « bati esse transgressorem, quia lutum fecit, cur « non crediderunt illum hominem cæcum fuisse, « cum potius id credere deberent, ut causam ac- « cusandi haberent, quod lutum fecerit? at sense- « runt revera plus posse miraculum ad confirman- « dum esse a Deo quam lutum illud ad probandum « a Deo non esse, ideo miraculum occultare volue- « runt, varia est profecto, et cæca, et inconstans « malitiâ. » Unde patet, totum hoc examen eo solum spectasse, ut miraculum occultarent; quo fine se parentes ejus lucruturos esse sperabant. Lyranus Phariseos ad hoc conatos fuisse dicit, ut eos ad ejus cæcitatem præcedentem negandum paulatim inducerent: « Quia parentes solent occultare « monstruositatem filiorum, quam trahunt a nati- « vitate, quia convertitur in confusionem eorum. »

## VERSUS 20.

*Responderunt eis parentes ejus, et dixerunt: Scimus quia hic est filius noster et quia cæcus natus est.*

1. — Lyranus super hanc parentum assertionem hanc observationem inducit: « Magis volunt confi- « teri turpitudinem suam quam dicere falsitatem. »

## VERSUS 21.

*Quomodo autem nunc videt, nescimus, aut quis ejus aperuit oculos, nos nescimus; ipsum interrogate, ætatem habet, ipse de se loquatur.*

1. — Toletus parentes hosce tribus quasi interrogationibus simul respondisse scribit: « Fatentur « esse filium suum, et natum cæcum, at quomodo « videat, ignorare; et adhuc adjiciunt: nescire se « quis ejus oculos aperuerit; timore autem Judæo- « rum inquisitionem in ipsum filium convertunt, « ætatem legitimam, ut in judicio inquiri posset, « habere affirmantes; quo verbo ejus confessionem « legitimam fore testificantur; quod etiam Judæo- « rum animos magnopere confundit. »

2. — Theophylactus ad maturitatem anorum cæci hujus se reflectens ait: « Numquid infans est, « vel stupidus, ut non intellexerit quomodo sanatus « sit? quasi dicant, » inquit S. Thomas: « Et si « genuinus eum cæcum, non tamen mutum; unde « loqui potest pro se in causa; » ac proinde dixe- « runt: « Ipsum interrogate; ætatem habet justam « et legitimam, » inquit Lucas Brugensis, « ita ut « fides ei etiam in judicio haberi merito debeat. »

## VERSUS 22.

*Hæc dixerunt parentes ejus, quoniam timebant Judæos; jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum extra synagogam fieret.*

1. — Rupertus Abbas Tuitiensis se dicit non mirari quod parentes cæci illius se non nihil timidus esse ostenderint: « Verumtamen eo tempore pa- « rentes cæci hujus timuissent, non adeo mirum est, « cum et Petrus non solum timuerit, sed et Chris- « tum negando, totus pene submersus sit. » Nimi- « rum formidabant ne si modum, quo cum filius ipsorum illuminatus fuerat, manifestarent aut proderent, inquit Lucas Brugensis, tanquam fautores Christi suspecti essent, adeoque e synagoga turpiter arcerentur: « Itaque testimonii invidiam in filium « rejecerunt; » at vero, ut S. Augustinus, *tract. u in Joan.*, advertit: « Jam non erat malum fieri « extra synagogam: illi expellebant, sed Christus « excipiebat. »

## VERSUS 23.

*Propterea parentes ejus dixerunt: Quia ætatem habet, ipsum interrogate.*

## VERSUS 24.

*Vocaverunt ergo rursus hominem qui fuerat cæcus, et dixerunt ei: Da gloriam Deo; nos scimus, quia hic homo peccator est.*

*Vocaverunt ergo rursus hominem qui fuerat cæcus.*

1. — Hic juxta sententiam Salmeronis, quintus conflictus fuit; fecerunt etenim prout in expurgatione et obsidione civitatis seu fortalitiu alicujus fieri consuevit, quod dum omni ex parte fortiter et arte cingunt, ad loca semel derelicta denuo vadunt, iterumque redeunt: « Ita isti rursus ad cæ- « cum explorandum accedunt. »

2. — Dionysius Carthusianus in novo hoc examine quosdam notat invidiæ effectus. « Invidia « enim non quiescit, sed indefesso animo militat « malum ei, quem odit; et qui veritatem militat « obstruere, variis exquisitis, falsissimisque cautelis « utitur. »

*Dixerunt ei: Da gloriam Deo.*

3. — Varia sunt, eaque omnes diversæ sacro- rum interpretum in hæc verba allatæ expositiones. Hugo Cardinalis ait: « Id est, die te mentium « fuisse hoc, quod dixisti eum Prophetam esse et « curasse, et sic cognosce peccatum tuum, quod « est, dare gloriam Deo. »

4. — Lyranus existimat Phariseos illum inducere voluisse, ut quasi per veritatis instinctum, se visum arte magica accepisse assereret.

5. — S. Cyrillus Alexandrinus, *lib. VI in Joan.*, ait: « Astutissime quidem jubent dare gloriam Deo, « ob miraculum, in hoc pietatem simulates; » at quoniam fine ipsdum fecisse existimas? nimirum ut majorem assertionibus suis fidem acquirerent: « Sibi tamen suffragari, sibi que credere volunt, « quamvis extrema cum pietate peccatorum esse « dicentibus eum, qui ad evitandum peccatum ad- « venerit. » Porro miraculum hoc ex parentum cæci hujus testimonio adeo certum et indubitatum evaserat, ut in controversiam deinceps vocari veritas ejus minime posset; quoniam igitur spectabat astutissimæ illæ technæ, quas licet incassum adversus ipsum machinabantur. « Facti laudem a Jesu, » inquit Jansenius, « quem oderant, avertere studeo- « runt, idque sub prætextu religionis, dicentes: « *Da gloriam Deo*, ac per hoc significantes non dare « gloriam Deo, sed Deum ignominia afficere, « quando miraculum Jesu tribuebat, quem se « scire dicebant esse peccatorem. »

6. — Theophylactus inquit: « Confitere quod « Jesus nihil operatus sit in te, gloriam enim esse « Dei putant, de Jesu nihil boni attestari. » Alber- tus Magnus totum illorum intentum eo spectasse dicit, ut efficere possint, quantum Christus nullam penitus in hoc miraculo partem habuisse videatur: « Miraculum nitantur obnubilare, quia negare non « possunt, ut saltem nomini Christi non attribua- « tur; et ad hoc inducunt blanditias, ut illiciant; « versutias, ut decipiant; convicia, ut ad impatien- « tiam moveant; injurias, ut terroribus cogant. »

7. — Cajetanus alio ex capite malitiam eorum conspicuam reddit; dicit enim quod quia miraculum in conspectu mundi patrum abscondere, aut negare non poterant, conati sunt cæco illuminato persuadere, ut omnem ex hoc miraculo emergentem gloriam Deo immediate attribuat, Christum vero penitus excludat: « Et hoc sub specie divine « gloriæ; intendunt enim dicere quod gloria mira- « culorum danda est Deo, non homini peccatori; « quod det gloriam Deo, affirmando cum eis veri- « tatem, scilicet quod Jesus est peccator et quod « Deus illuminavit illum. » Ejusdem quoque mentis fuit S. Thomas, dum ait: « Quasi dicant: Illu- « minatus es? sed hoc non est, nisi a Deo; ergo « hoc nulli alii attribuas, nisi Deo et non isti « Christo; quia si hoc facis, ostendis te non acce- « pisse a Deo purificationis beneficium. » Salmeron veluti ex ore malignorum et invidiorum Phariseo- rum scribens, ita illos loquentes inducit: « Confi- « tere veritatem, et reputa te a solo Deo sanatum, « non a Galilæo illo homunculo, et ita hujus rei « gloriam auctori hujus redde, non huic seductori. « Palam quidem atque imprudenter, » inquit Chry- sostomus, *Hom. LVII in Joan.*, « non dicunt: nega- « cere voluisse, ut quasi per veritatis instinctum, se visum arte magica accepisse assereret. »



« te operatum; nos scimus quia peccator est. »  
**8.** — S. Augustinus, *tr. xlv in Joan.*, inquit :  
 « Quid est, *do gloriam Deo?* Nega quod accepisti;  
 « hoc plane non erat gloriam Deo dare, sed Deum  
 « potius blasphemare. » Tametsi igitur dicerent :  
*Do gloriam Deo;* ipsum tamen ad hoc inducere ni-  
 tentur, ut gloriam Christo debitam derogaret; at  
 vero omnino contrarium ejus quod volebant, acci-  
 dit, quia per generosas et magnanimas hujus cæci  
 responsiones gloria Dei in Filio ejus mire dilatata  
 et magnificata fuit.

*Scimus quia hic homo peccator est.*

**9.** — Lucas Brugensis ait : « Non explicant quia  
 « in re peccatit, ut multis modis peccatorem esse,  
 « scelestissimum dent intelligendum. » Ecce tibi  
 Christi gloriam et innocentiam ejus testimonium,  
 per ipsorum inimiciorum ejus os proprium mani-  
 festatum; totum malum quod fecit et de quo illum  
 accusabant, in hoc consistebat, quod modicam  
 quamdam tibi massam oculis hujus cæci superim-  
 posuerit, ut eosdem illuminaret : « At cum audie-  
 runt a Christo, » inquit Toletus ; « *Quis ex vobis*  
 « *arguet me de peccato?* nihil probare poterunt.  
 « Proprium hoc est detractorum vitium, ut contra  
 « absentes loquantur, ne forte ab innocentibus, si  
 « adsint, redargui possint. »

#### VERSUS 25.

*Dixit ergo eis ille : Si peccator est, nescio ; unum  
 scio, quia cæcus cum essem, modo video.*

**1.** — Chrysostomus ait : « *Si peccator est, nescio;*  
 « non est dubitantis, absit; norat enim non esse  
 « peccatorem. » Hocque verum esse, per alia ejus-  
 dem cæci verba declarat : *Scimus quia peccatores*  
*Deus non exaudit; sed et si quis Dei cultor est, et vo-*  
*luntatem ejus facit;* « ubi non modo cum a peccatis  
 « absolvit, sed acceptissimam Deo et omnia Dei  
 « opera facientem demonstrat. »

**2.** — S. Cyrillus ita scribit : « Duplicem gratiam  
 « accepit, quando cum corporis oculis, etiam ei  
 « mens illustrata est, et jam solis, qui a nobis con-  
 « spiciatur, fulgorem habet in carnis oculis; rati-  
 « onem vero velut sub intellectum eadentem. Sancti, in-  
 « quam, Spiritus illuminantem intramittit et corde  
 « suscipit. » Porro verba illa cæci : *Unum scio, quia,*  
*etc.,* eum hominem valde illuminatum fuisse ostendunt,  
 inquit S. Doctor : « Non simpliciter ejusdem  
 « considerationis, sed valde cordati hominis con-  
 « ceptum includit. »

**3.** — S. Thomas, in *Joan.*, verba illa non titu-  
 bant, sed illos potius reprehendentes fuisse existi-  
 mat : « Quasi indignatus Phariseos irridens, quasi  
 « dicat : Vos asseritis eum peccatorem, sed hoc ego  
 « nescio, quod sit peccator et miror, quod asse-  
 « ritis; quia quod fecit, quod non videtur esse

« peccatoris. » Albertus Magnus verbum illud *nes-*  
*scio,* ita interpretatur, ut sensus sit : *non approbo.*  
 Lyranus cæcum dicere voluisse scribit, Christum  
 non posse esse peccatorem, quod hoc in eo ope-  
 ratum est miraculum, in quo sanctitatis suæ irrefra-  
 gabile specimen reddidit, utpote quod omnem  
 potentiam et facultatem humanam excessit.

**4.** — Toletus ait : « Non dubitando se nescire  
 « dicit; nam ut paulo post apparet, esse a Deo  
 « sciebat, sed illud judicium ad se pertinere  
 « negat. »

#### VERSUS 26.

*Dixerunt ergo illi : Quid fecit tibi? quomodo aper-  
 ruit tibi oculos?*

#### VERSUS 27.

*Respondit eis : Dixit vobis jam et audistis : quod  
 iterum vultis audire? numquid et vos vultis disci-  
 pulari ejus fieri.*

**1.** — Toletus super hasce novas et iteratas Phari-  
 saeorum interrogaciones et instantias hunc fere in  
 modum discurret : Videntes omnem sibi ad mira-  
 culum calumniandum, præclusam esse viam, siquid-  
 em homini a natiuitate cæco visum impertiri opus  
 est superhumanum et divinum, modum patris  
 miraculi examinare incipiunt, ut cum in die sab-  
 bati lutum præparasse, illudque oculis cæci illius  
 superimposuisse replicantes, eum in hoc opere  
 sabbati transgressorem fuisse convincant : « Ten-  
 « tarunt primo negare factum, quia divinum agno-  
 « scerant, id non valentes testium multitudine con-  
 « victi falsum calumniarunt ex modo, quia lutum  
 « fecit; modus hic faciendi multo illustrior et mira-  
 « bilis efficeret et redderet miraculum. »

**2.** — « Videre erat miserum spectaculum, »  
 inquit Chrysostomus, *Hom. de cæco nato,* « cum  
 « pietas exaggeraretur, impii iudices disceptarent,  
 « magnus athleta certaret, Deus certamini presi-  
 « deret. »

*Dixi vobis jam, et audistis.*

**3.** — « Dixisti, o bone vir, » inquit Salmeron,  
*tom. VI, tr. xxxix,* « sed non ea, que isti audire  
 « volebant, tu quidem veritatem rei dixisti; at illi  
 « qui semper veritati rei adversati sunt, veritatem  
 « audire non querunt, sed Christi calumniam. Dici-  
 « tur enim in *lib. Prov., cap. xviii, 2 :* *Non recipit*  
*« stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris, que ver-*  
*« santur in corde suo. »*

**4.** — Cajetanus inquit : « Et deest, *non audistis;*  
 « intendit, qui fuerat cæcus, arguere eos, quod  
 « non audierant interno auditu; » dum replicat,  
 quid iterum vultis audire? auditu nimirum exte-  
 riori; adeoque cæcus hic surditatem illis spirituales  
 improperat.

**5.** — Toletus ait : « Petrus homo vanas Phari-  
 saeorum interrogaciones respondet : *Dixi jam*  
*« vobis, etc.* Si quod dixi semel non audivissetis,  
 « merito iterum quereretis, at cum audieritis  
 « meam responsonem, non est amplius cur audire  
 « queratis. »

*Numquid et vos vultis discipulari ejus fieri.*

**6.** — Thomas, in *Joan.*, dicit : « Quando enim  
 « aliquis diligenter inquiri, aut hoc facit bona  
 « intentione, ut scilicet ei adhæreat; aut mala, ut  
 « eum condemnet; quia ergo isti diligenter quere-  
 « bant, et cæcus non est ausus eis imponere, quod  
 « mala intentione quærent, declinat ad aliam  
 « partem, dicens : *Numquid et vos, etc.* »

**7.** — Toletus prudentiam hujus cæci eximiam  
 admiratur, cum enim satis superque agnosceret,  
 quod Christum persequerentur ad mortem, ejusque  
 opera calumniari vellent, id tamen dissimulavit,  
 sequæ id non advertere finxit, replicatas ab illis  
 maligna et sinistra jam intentione factas interro-  
 gaciones in hominem sensum interpretando : « Numquid  
 « forsitan tam avide hæc iterum audire queritis,  
 « qua etiam vos discipulari ejus fieri vultis? Miro  
 « artificio eos pupugit, quasi diceret : Cum tantus  
 « sit homo hic, qui oculis cæci nati aperire potuit,  
 « vosque sitis homines religionem quam maxime  
 « profitemini, profecto non aliud mihi vestra hæc  
 « tam exquisita diligentia de vobis pollicetur; tacita  
 « est et acris reprehensio eorum, qui persequen-  
 « bantur, quem ut magistrum debebant sequi. »  
 Jansenius quoque scribit : « Id dicit per ironiam,  
 « sciens illos nolle discipulari ejus fieri et ob id  
 « significans indignos, quibus eadem repetantur,  
 « ut qui non bono animo, sed malo ad easdem  
 « revolverentur percussiones. »

#### VERSUS 28.

*Maledixerunt ergo ei, et dixerunt : Tu discipulus  
 illius sis, nos autem Moysi discipulari sumus.*

**1.** — S. Thomas ait : « De hac maledictione  
 dicitur, *Psal. cviii, 28 :* *Maledicent illi et tu bene-*  
*dicies.* Et *Matth., v, 11 :* *Beati estis, cum maledixerint*  
*« vobis homines.* Maledictio igitur hæc cæco fuit facta,  
 quoad imprecationem ejus, quod illi augurabantur,  
 benedictio potius, seu maledictio benedicta fuit,  
 non fuerit talis quoad ipsorum intentionem, qua  
 plane perversa erat : *Maledictum, si cor eorum*  
*« discutis.* Unde et S. Bonaventura ait : « Non est  
 « autem, si verba perpendas, magna enim bene-  
 « dictio est, quod homo sit discipulus Christi. » S.  
 Basilius quoque dicit : « Omne verbum, quod eo  
 « animo profertur, ut ex eo contumelia sua igno-  
 « minia alter afficiatur, maledictum est, licet ver-  
 « bum ipsum per se non videatur contumeliosum. »  
 In cujus probationem adducit hanc maledictionem,

qua Pharisei hunc cæcum oderant, hæc enim  
 quoad Phariseos injuria fuit, licet in ipso quoad  
 substantiam ejus fuerit gloria.

**2.** — Porro in hac occasione satis liquet verificatum  
 fuisse illud Ecclesiastici; *ii, 1,* monitum,  
 dicens : *Fili, accedens ad servitium Dei, sta in*  
*« timore; præpara animam tuam ad tentationem.* Mox  
 enim ut cæcus hic a Domino lumen tam animæ  
 quam corporis accepit, quantos non perpeli debuit  
 lectus, quot non sustinere coactus est contradic-  
 tiones? Mox enim hic illum aggressus est exami-  
 nando, ille injuriando, alius maledicendo, alter  
 contentiose cum illo disputando, nonnulli ipsam  
 tanquam excommunicatam et synagoga proscri-  
 bendo, adeo etiam ut et ipsimet illius genitores  
 illum in angustiis suis desolatum derelinquerent;  
 at vero omnia hæc ad majorem illius gloriam tan-  
 dem cesserunt; unde vere dicitur : *Beati estis, cum*  
*« maledixerint vobis homines et persecuti, etc.* *Gaudete*  
*« et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in*  
*« cælis.* Toletus considerat, quod verbum hoc *maled-*  
*« dixerint* in græco injuriam et contumeliam secum  
 subinfert : « Sane cæcitas eorum convincitur, quod  
 « enim erat maximi honoris, tanquam convivium  
 « inferunt : *Maledicent illi, et tu benedicies;* » ubi  
 mox subjungitur : *Qui insurgunt in me, confun-*  
*« dantur, servus autem tuus latibatur.* *Confitebor Do-*  
*« mino nimis in ore meo, in medio multorum laudabo*  
*« eum, quia astitit a dextris pauperis, ut scitebam face-*  
*« ret a persecutoribus animam meam;* que omnia in  
 hoc cæco ad unguem adimpleta fuisse cernuntur.

#### VERSUS 29.

*Nos scimus, quia Moysi locutus est Deus, hunc  
 autem nescimus unde sit.*

**1.** — S. Thomas ait : « Quasi dicant : Nullus  
 « auctoritatis est, ita ut non constet de eo, an a Deo  
 « venerit. » Mendacium vero illorum manifeste  
 convincitur, siquidem ut Glossa advertit : « Supe-  
 rius dixerunt : *Hunc scimus, unde sit, et id dicunt*  
 « se nescire; sed nescire nos dicimus, que abjeci-  
 « mus, ille nescitur, latet humilitate, proditur  
 « signorum virtute. »

**2.** — Salmeron ponderans id, quod dicunt :  
 « *Nos scimus, quia Moysi, etc.,* illorum confundi  
 « malignitatem, dicens : firmiori tamen testimonio  
 « scire poterant JESUM esse Filium Dei; nam illud  
 « de Moyse sciunt uno solo textu et qui de ipso  
 « testimonium perhibuit, etc., hoc per auditum;  
 « hoc autem scire poterant pluribus testibus, scilicet  
 « et Moyse et Elia, et ceteris Scripturis, voce  
 « deinde paterna et celo dimissa et ex visu tot ope-  
 « rum divinarum, que inter eos fecit. »



## VERSUS 30.

*Respondit ille homo, et dixit eis: In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis unde sit, et aperuit meos oculos.*

1. — « Tanta horum fuit insipientia, » inquit Jansenius, *cap. lxxviii*, « ut non posset non eam « mox mendicus iste et deprehendere et redar- « guere. » Omnes sacri expositores heroicam et intrepidam hujus cæci animam, quo Christum strenue defendit et tutatus est, unanimiter admirantur. S. Bonaventura ait : « Ut ait Augustinus, « libere, constanter, veraciter loquitur. » Chrysostomus, *Hom. xvii in Joan.*, dicit : « Ecce veritatis « præconem, quomodo sapientiam non impedit « paupertas. Vides, quod audivit a principio, et « quod petiit, et quomodo verbis et operibus « testatus est? » Quidem S. Doctor ulterius cæcum hunc suo nos exemplo dicere ostendit, qualiter in profectada Christi fide solidi, stabiles et immobiles stare, ejusque disciplinam et sequelam minime erubescere debeamus : « Nam si is, qui mendicus « erat, qui cæcus, qui Christum viderat, ante ejus « hortationem tantum confirmatus est, ut in con- « spectu totius populi homicidæ, furentis, insani et « ejus voce Christum damnare cupientis, nec assen- « sus sit, nec acquieverit, sed per quam fidenter « eorum os obstruxerit et expelli maluerit, quam « subjicere veritatem; quanto magis nos, qui tam- « diu in fide viximus, qui per fidem tot miracula « intuiti sumus, qui majora quam ille accepimus « beneficia, qui interioribus oculis arcana mysteria « conspiciamus? »

2. — S. Thomas ejusdem Chrysostomi adducens auctoritatem, veritatis efficaciam admiratus, dicens : « Ex ista cæci constantia apparet, quam forte quid « sit veritas, quæ si despectos assumpserit, claros et « duciam, quod etsi cum fortibus fuerit, imbecilles « eos monstrat et reddit. »

3. — Lyranus ait : « Iste illuminatus eorum « malitiam et falsitatem confuscat. » Judei namque signis et miraculis patris faciem semper fidem adhibere consueverat; unde I *Cor.*, 1, dicitur : *Judei signa petunt*, « et manifestis signis credere « consuevit erat; » quam eandem veritatem in Exodo quoque expressam habemus. Unde præfatus interpres ita arguendo scribit : « Inconsecutum erat « et mirabile, quod non credebant Christo facienti « signum maximum in illuminatione hujus cæci, « quia nec Moyses, nec alius Propheta simile fece- « rat. »

4. — Jansenius, *cap. lxxviii*, intrepidum hujus cæci animam aptis hisce ponderationibus commen- dat, dicens : « Cujus cum inter disputandum, ut « fieri solet, crederet fiducia, confirmatus veritatis « conscientia et Dei gratia, fortiter contemptis

« omnibus periculis ausus est Christi causam agere « apud viros magni nominis, quos sentiebat omni- « bus technis moliri perniciem Jesu; » unde dicere poterat illud Jobi, xxvii, 6 : *Justificationem quam capsi tenere, non deseram*. Christi etenim innocen- tiam ad finem usque generose defendit, donec tan- quam excommunicatus e synagoga proscriberetur. Porro in hac lucta veritatem fuit illud Davidis Regis, *Psal. x, 2*, pronuntiatum : *Dum superbit impius, incenditur pauper*, siquidem quanto vehe- mentius hi Pharisei adversus hunc cæcum exasper- abantur, tanto ferventius pauperculus ille in amore erga benefactorem suum accendebatur; pergit vero Psalmista eodem in loco dicere : *Comprehenduntur in consiliis quibus cogitant*; quia cum illi cæcum hunc a testimonio huius miraculo perhibendo deter- rere et retrahere conarentur, in tanto amplius Sal- vatorem in conspectu totius Jerosolymæ cum summa illorum ignominia et contemptu justificandum et manifestandum accendebatur.

5. — Considerandum quoque hoc loco venit, quod cæcus ille, utpote in Scripturis minime versa- tus, circa punctum quod de Moysæ tangebatur, nihil prorsus responderit, sed illi se tantum apposerit, quod se Christum nequaquam cognoscere asserent, quem tamen per patratum in ipsis persona miraculum luce meridiana clarius agnoscerent de- bebant : « Eorum ignorantiam junctam miraculo, » inquit Cajetanus, « illuminationis suæ, vertit iste « homo in cumulum miraculi. » Porro miraculum istud adeo speciosum et stupendum fuit, ut cum S. Joannes, ut bene Salmeron advertit, in suo Evan- gelio nulla illustra vite Christi facinora ab aliis Evangelistis enarrata, sub silentio transierit, eo quod scopus illius principalis eo solum in Evangelio ipsius spectabat, illa solum in specie tangere, quæ ad Christi divinitatem convincendam, vel maxime ordinata erant : « Maxime quæ divinitatem stabi- « luebant, illa suo Evangelio inseruit; » nihilominus hanc cæci nati illuminationem diffuse narraverit, utpote quæ hanc Christi divinitatem evidenter probabat, prout cæcus ille efficaciter arguebat. Unde Toletus ait : « Modeste eorum ignorantiam « affectatam, aut dissimulatam arguit et est sensus; « valde miror, quomodo vos ignoratis unde sit « homo, eum ex tanto miraculo facile cognosci « possit unde sit : *mirabile est*, ac si dicat : Vix « credi potest, vos ignorare; est enim ignorantia « nimis indigna vobis, qui tantam scientiam profi- « temini. *In hoc mirabile est*. » Magnæ quoque hujus cæci laudi attribui potest, quod ipse pauper, mendicus, illitteratus, qui nullos unquam litera- rum apices viderat, nedum legerat, in tam brevi tempore tantum sibi lumen, tantamque sapientiam comparavit quæcum Scribæ et Doctores adversus eos disputandum convicit, quæque cum tanto doctrinæ et sapientie fundamento, universam synagogam

convincere et confutare idonea erat. « Ecce sa- « piens, » inquit Albertus Magnus, « cæci illuminati « responsum, cum ex operibus potestatem divinam « et ex potestate naturam et personam possidet « cognoscere. »

## VERSUS 31.

*Scimus autem, quia peccatores Deus non audit, sed si quis Dei cultor est, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit.*

## Scimus.

1. — Id est, inquit Lucas Brugensis : « Scimus « nos idiota, multoque magis vel Doctores legis; » voluit etenim cæcus illis subindicare, quod vel sciant, undenam Christas sit, vel saltem quod ratione muneris idipsum scire debebant.

*Quia peccatores Deus non audit.*

2. — S. Bonaventura hoc loco cum S. Augustino in hisce verbis cæci objicit : « Si ita esset, frustra « Publicanus orasset, dicens : *Propitius esto mihi « peccatori*; » respondetque, peccatores duplicis generis esse : « Vel in peccato existentes affectu et « actu, et tales non audit Deus, in quantum tales; « non enim est *speciosa laus in ore peccatoris*; vel « diemur peccatores peccata recognoscentes et « reputantes se peccatores, et tales exaudit. Ma- « nentes in peccato, et suum peccatum amantes « non exaudit, et hoc merito ratione elongationis « eorum ab eo, et interpositionis suorum peccato- « rum inter se et Deum : *Iniquitates vestre divide- « runt inter vos et Deum, et peccata vestra absconde- « runt faciem ejus a vobis, ne exaudiret.* » Eandem quoque expositionem S. Thomas adducit, dum ait : « Non exaudit peccatores in peccatis persistentes, « exaudit tamen peccatores de peccatis peni- « tentes. » Idem quoque S. Bonaventura aliam adducit rationem, cur scilicet peccatores, qui in peccatis sunt obstinati, non exaudiantur : « Non « exaudit propter eorum abominationem et displi- « centiam a Deo; non oratio est placabilis, quando « persona est displicibilis. »

3. — Salmeron probabiliter esse existimat cæcum in hisce verbis juxta communem sacræ Scripturæ stylium, Judeis non ignotum locutum fuisse; siqui- dem in sacris litteris, ut plurimum, servi Dei et justi exaudiri dicuntur, non vero impii; dicitur enim, *Psal. xxxii, 16* : *Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum; clamaverunt justi et Dominus exaudivit eos*; et illud, *Prov.*, xxvii, 9 : *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis*. Alia tamen ratio, quam præter jam dictam affert, magis videtur esse litteralis, nimi- rum quod cæcus dicere voluerit, quod Deus donum miraculorum peccatoribus non concedat, neque illos in ordine ad illa exaudire solet : « Non audit,

« sive exaudit ad virtutem scilicet edendi miracula « in testimonium bonitatis et sanctitatis eorum. » Que opinio per Euthymium confirmatur, dicen- tem : « Non exaudit in hujusmodi miraculis. »

*Sed si quis Dei cultor est, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit.*

4. — Consideratio est Theophylacti, quod cæcus non solum dixerit : *Si quis Dei cultor est, verum insuper protinus adjunxit : « El voluntatem ejus « fecerit, multi enim cultores quidem sunt, volun- « tatem autem Dei non faciunt; oportet autem « utraque adesse, Dei cultum et voluntatis divine « adimpletionem, hoc est fidem et opera. »*

## VERSUS 32.

*A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati.*

1. — Toletus inquit : « Facile in hoc cæco « agnosces spiritum Domini, nec enim tanta in « idiota potuit esse sapientia, qua Doctores convin- « ceret et illis dicentibus : *nos nescimus, contradicere « ret; nos, inquit, scimus, nec tam intrepidus ani- « mus libere inter persecutores Christum confitere- « tur et defenderet, cum ab omnibus etiam paren- « tibus esset derelictus, nisi in eum ille intrasset « spiritus, de quo dicitur, *Matth.*, x, 20 : *Non estis « vos, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri.* » Nimirum ex hoc casu a sæculo nunquam auditum miraculo, Christum non solum non peccatorem, sed et verum Deum esse, magna cum efficacia arguendo conclusit : « Quasi dicat : Multa memorantur mira- « cula, » inquit Jansenius, « quæ Deus olim gessit « per majores nostros, sed sanctos, non peccatores « et tamen si repelamus ab orbe condito nunquam « auditum est, quemquam extitisse, qui cæco nato « oculos aperiret et visum quem nunquam habue- « rit, imo quem natura negavit, præberet. » Lucas Brugensis rationem reddit, cur magnitudinem hu- jus miraculi tantopere ponderaret : « Amplificat « hujus miraculi excellentiam, ut majorem addat « argumento suo vim. »*

2. — S. Cyrillus Alexandrinus, *lib. vi in Joan.*, zelum hujus cæci considerat, set potius indignatio- nem adversus Judeos conceptam ob injuriam, quam Redemptori irrogabant. Dicit enim : « Non « parum, ut videtur, indignatus et agere ferens cæ- « cus tot conviciis impeti Christum, summaque « molestia affectus, quod sibi ut probrum ingerant : « *Tu discipulus illius sis, nos autem Moysis*. Festinat « suo magistro patrocinari. »

3. — In hoc homine, qui a primo vite sue exor- dio cæcus fuerat, peccator habitatus denotatur, qui nihil unquam boni fecit, omnique lux lumine et agnitione privatus exiit; ut igitur talis in statu redigatur salutis, plures circa ipsum modi adhibendi



sunt. Porro Christus ad hunc cæcum illuminandam quatuor præcipue prestavit. Primo enim divino verbo suo nus fuit, dicens: *Vade ad natatoria Siloe*. Secundo digitum suum illi applicuit: *Linitit oculos*. Tertio spatium adhibuit: *Easpuit in terram*. Quarto denique lutum præparavit: *Et lutum fecit*. Eodem modo ad curandam cæcitatem impij cuiusdam peccatoris, qui a natiuitate sua quasi in iniquitatibus commissis callum contraxit, opus est in primis verbo Dei: *Lucerna pedibus meis verbum tuum*, deinde digito Dei, id est, miraculis: *Digitus Dei est hic*, sive ut clarius dicam, efficacia Spiritus Sancti: *Dextera Dei tu digitus*. Denique luto, id est, ignominia et infamia penes mundum est aspergendus: *Imple facies eorum ignominia et quærent nomen tuum Domine*. Tandem vero luto, id est, memoria mortis nobis ipsis imprimenda: *Memento, homo, quia pulvis es, etc.*

## VERSUS 33.

*Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quiddam.*

1. — Antea ipsum Propheta titulo honoraverat, nunc vero in hisce adductis verbis ipsum tanquam verum in lege promissum Messiam a Deo nobis missum fuisse, asserere voluisse videtur. Unde Albertus Magnus ait: « Apparet supervenisse intus divinum lumen, quo protulit hæc verba de Jesu. »

## VERSUS 34.

*Responderunt, et dixerunt ei: In peccatis natus es totus, et tu doces nos? et eiecerunt eum foras.*

1. — S. Thomas, in *Joan.*, Pharisæicam superbiam et fastum hisce verbis reprehendit: « Superbia defectum incurrit, contemnendo cæci docent; cum dicunt: *Tu doces nos?* quasi dicent: Non es dignus. In quo apparet eorum superbia. Nullus enim homo quantumcumque sapiens, debet a quocumque parro doctrinam repellere. »

2. — Lucas Brugensis Pharisæorum detegit malitiam, siquidem confusus et convictus se videntes, dum rationibus respondere non possent, per injurias et contumelias eidem responderent: « Conviciis et injuriis degere conati sunt, quem rationibus non poterant. Exaggeratio est, *totus*, id est, non solum anima, at ceteri homines, sed et corpore. Corpus tuum mox ut natum, demonstravit singularem animæ suæ deformitatem; » vel etiam ut Jansenius exponit: « Dicunt in peccatis natum, quod secundum eos omnia ejus, mendicias scilicet, cæcitas et impudentia arguerent hominem a natiuitate seorsum. »

3. — « In hoc cæco paupere ostendit, » inquit Salmeron, « quomodo per pauperes et indoctos humanis presidiis et adjumentis destitutos, nomen suum prædicandum esset per universum orbem. »

*Et eiecerunt eum.*

4. — Toletus huic cæco e synagoga eiectioni invidet, ob meritum ingens quod inde sibi conciliavit: « Felix cæcus, qui primus pro nomine Jesu contumeliam passus et absque synagoga factus est, quod, *Joan.*, xvi, 2, Apostolis futurum Dominus prædixit. »

5. — Theophylactus id omnibus accidere scribit, qui militiæ christianæ albo sese inseri faciunt: « Ubi baptizatus quis fuerit tunc et tentationibus subjacebit; oportet firmiter se gerere et stare in confessione constanter, nec propter metum negare. »

6. — Sperabant Pharisæi illum, utpote publice e synagoga proscriptum et eiectionem, et velut excommunicatum, nullam deinceps penes populum habiturum esse fidem, adeoque parum nocere posse. Unde Lucas Brugensis ait: « Futurum sperarunt, qui excommunicatus ac proinde declaratus infamis et indignus consuetudine Israelitarum fidem apud populum, non mereretur, nisi ulterius promulgaret miraculum a Jesu in se editum. » Jansenius observat, quanto cum studio et industria veritatem sepelire et obfuscare conati fuerint: « Observandum hic, quam indefesso studio impij veritatem obscurare nitantur, quanto furore, dum convincerent contra veritatis assertores exagitantur. » S. Bonaventura ad Pharisæorum malitiam manifestius exponendam, sequentem adducit S. Augustini auctoritatem dicentis: « Ut enim ait Augustinus, ipsi illum magistrum fecerunt. Ipsi ut discerent, toties eum interrogaverunt et ingrati doctorem projecerunt, et in hoc beneficium magnam ei contulerunt. » Unde Augustinus ait: Illi pellunt, excipit Dominus, magis enim quia pulsus est, Christianus factus est, » et ideo fidelium nove legis typus fuit, de quibus S. Paulus, *Heb.*, xiii, 14, ait: *Exeremus ad eum extra castra, improprium ejus portantes.*

## VERSUS 35.

*Audivit Jesus, quia eiecerunt eum foras, et cum invenisset eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei.*

*Et cum invenisset eum.*

1. — Cajetanus ait: « Non dicit: reperisset, tanquam fortuito obvium, ad significandum quod ex intentione invenit eum, quod ideo dixit Evangelista, ut instrueret Pastores Ecclesie, ut essent studiosi erga repulsos ab aliis propter nomen Jesu. » S. Thomas de Aquino eandem ponderationem his verbis habet: « Illud enim inveniri dicitur, quod diligenter queritur. *Luc.*, xiv, 8: *Quærit diligenter, donec inveniat*; ex quo videtur, quod Christus solum eum querat, quia in illo solo plus invenit de fide quam in omnibus aliis. »

Theophylactus ait: « Dedita opera ad hoc veniens, ut eum consolaretur, quasi agonethetes athlete, qui nullum laboraverat et coronatum suscepit. »

2. — S. Joannes utitur dictione hac, *audivit*, ut Albertus Magnus notat, tametsi idipsum probe scriverit, etiam dum non audivit: « Quidem quod ante scivit, licet ut homo etiam audire vellet, ut formam daret inquirendi et audiendi veritatem, antequam procedamus contra aliquem. »

3. — S. Cyrillus Alexandrinus, in *Joan.*, ait: « Querit illum non longo post tempore Christus et inventum arcana docet. Erit ergo et istud documentum, curæ esse Christo eos, qui defendere ipsum parati sint et pro ejus fide periclitari non vereantur. Tales inveniet Jesus, » inquit Theophylactus, « et tunc magis, quando ab inimicis ignominia notatus fuerit, a Christo honorabitur et agnitione et certiori fide. » Idem quoque Doctor lucrum considerat, quod bonus hic homo sibi comparavit, dum ait: « Vide lucrum: eiectionis est ex templo et statim invenit eum Dominus templi; contemptus fuit opinione illorum propter Christum et honoratus est agnitione Filii Dei. »

4. — S. Cyrillus super verbum hoc: *Audivit Jesus*, occasionem accipit, tum cæcum hunc laudandi, tum nos per sequentem moralitatem instituendi. Dicit enim: « Non aliquo renuntiante id quod factum esset, sed quoniam, ut quidam sapientium dixit: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*. Audit enim, sicut Psaltes ait: *Qui plantavit aurem, non audivit? et qui fixavit oculum, non considerat?* Cum ergo injuria afficimur propter eum, vel aliquid molestiæ sustinemus ab hostibus Dei, credendum est prope inspectorem esse Deum. »

5. — Rupertus Abbas Tuitiensis, dictionem hanc, *invenisse*, considerans ait: « Neque hoc sine pondere dictum est: *Et cum invenisset eum*. Invenit enim Jesus, quos mundus perdit. Invenit salus, quos perditio derelinquit. Invenit autem de prope: *Juxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde.* »

6. — Chrysostomus vero, *Hom. lviij in Joan.*, exinde occasionem captat præ cæteris in hoc paupere cæco illuminato illos præcipue honorandi, qui propter Christi sequelam et disciplinam, cui se addixerunt, male tractantur a Christi hostibus. Dicit enim: « Qui propter veritatem et Christi confessionem malo et contumelia aliqua afficiuntur; hi maxime a DEO honorantur. Ut enim qui propter Deum pecunias dispergit, is maxime eas invenit; qui odit animam suam, is vel in primis amat; ita contumelia affectus propter Deum, is plurimum honoratur a Deo, quod cæco usu venit. » Eiectionis est e templo a Judæis et a templi Domino inventus est? Contemptus a contemptoribus

Christi, ab Angelorum rege honoratus est. Considera, quibus eum premiis remunerat summa omnium bonorum, se enim ei notum fecit; et consequenter cum hac agnitione simul in eo procedebat gloriæ celestis: *Hæc est enim vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* »

*Dixit ei: Tu credis in Filium Dei.*

7. — Iste cæcus, » inquit S. Thomas de Aquino, « typum baptizandorum gerebat; unde etiam consuetudo inolevit in Ecclesia, ut baptizandi interrogentur de fide. Interrogans autem de fide, non dicit: *Credis in Christum?* sed in *Filium Dei?* » quia ut S. Hilarius observat futuri hæretici, qui in Christum quidem credituri erant, non tamen tanquam in Filium Dei, vel tanquam in Deum; prout faciunt Ariani.

8. — Salmeron fidem hujus Christo nequaquam ignotam fuisse dicit, siquidem jam antea in ipsum crederent, priusquam illum in facie videret: « Sed » ut initia fidei, quæ in illo seminaret, ad majora promoveret, interrogavit. »

9. — Toletus dicit: « Non tam ad intellectum quam ad voluntatem refertur interrogatio; ut sit sensus: Vis tu in Filium Dei credere? semper enim Deus hominum arbitrio, in eorum salute et fide concilianda, ulitur. »

## VERSUS 36.

*Respondit illi, et dixit: Quis est, Domine, ut credam in eum?*

1. — Lyranus ait: « Non cognoscebat Jesum in facie, quia illum alias non viderat, sed eum desiderabat videre et ideo dignum erat, ut ei veritate revelaretur. » Salmeron ait: « Non est vox difficilis, sed ardens videre beneficii auctorem. »

2. — S. Thomas postquam demonstrasset cæcum hunc, Christum ex facie minime cognoscere potuisse, eo quod tunc pridem illuminatus fuerit, postquam ad aquas Siloe missus fuisset, postea vero a Pharisæis detentus et moratus fuerit, ipsum tamen Salvatorem vere Filium Dei esse existimasse in sequentibus subjungit, dicens: « Ex quo hic apparet, quod eum ex parte cognoscebat et ex parte ignorabat. » Vehementer tamen illum videre desiderabat. *Isa.*, xxvi, 9: *Anima mea desideravit te in nocte, scilicet ignorantia*. Unde Chrysostomus ait: « Desiderantis et valde inquiringis animæ verbum, quod ex parte tantum est, eum ignorat; unde veritatis eum amatorem esse intelligat, non dum enim eum viderat. »



## VERSUS 37.

*Et dixit ei Jesus : Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est.*

1. — Jansenius ait : « Videtur autem dedita opera dixisse : *Vidisti eum*, ut omnino in memoriam sue sanationis illum reducat et per eam magis ad credendum. Quod secundo dicit : *Qui loquitur tecum, ipse est*, ut provocet et confirmet. » *Vidisti eum corporaliter*, inquit S. Thomas, « quia prius nullam videbas, quasi dicat : Ab ipso virtutem videndi accepisti. »

2. — *Et qui loquitur tecum, ipse est*, quia ut *Hebr.*, 1, 2, dicitur : *Novissime locutus est nobis in Filio.*

3. — Abraham postquam inimicos, qui Loth captivum abduxerant, dissipasset, fratremque suum ex eorundem manibus emisisset, Deum sibi dicentem audivit : *Ego protector tuus sum et merces tua magna nimis*. Cum igitur cæcus iste Christum genitose defenderit, atque ad protegendum et liberandum Dei Filium difficilem lectam pugnamque contra universam synagogam heroico animo sustinuerit, merito remunerationis loco sibi a Christo dici audivit : *Vidisti eum et qui loquitur tecum, ipse est*, siquidem in visione et fruitione Dei tota ratio gloria consistit.

## VERSUS 38.

*At ille ait : Credo, Domine ; et proci dens adoravit eum.*

1. — S. Cyrillus ait : « Tunc magis meruit

« cognoscere Christum, cum eiectus est de consortio inimicorum Christi. » S. Thomas cæcum hunc per hunc adorationis actum divinitatem in Christo agnovisse his verbis asserit : « Mundata conscientia cognovit illum non solum filium hominis, quod exterius videbatur, sed Filium Dei, qui carnem suscepit, nam adoratio debetur soli Deo. » *Rupertus Abbas, lib. IX in Joan.*, ait : « De hoc primitivo adoratore Filii Dei, duo hæc notanda sunt, quæ de nullo adorante illum legis; quia videlicet *« et credo, dixit, et proci dit. »* Leprosus quidem etiam adoravit; de illo tamen non legitur, quod dixerit : *Credo, Domine*, aut quod se in terram prostraverit, sed tantum genuflexit : « Hic enim invenitur tam voce confessionis, quam gestu, cordis necessarium perficiens adorationem Filii Dei? Et idcirco recte per singulos annos in exemplum ponitur sanctæ Ecclesiæ catechumenus insistentis sollemnitate Paschali baptizandus in morte Christi. »

2. — S. Bonaventura advertebat cæcum duo nos puncta docuisse, homini oranti quam maxime necessaria : « Primum fidei credulitas : *Credo, Domine*; *« postulat autem in fide*; secundum humilitas in gestu. Ibi : *Proci dens*. Qui enim proci dit, si infra se, alteri innititur. »

3. — Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum de hoc cæco illuminato ita scribit : « Cedonius Episcopus, vel Sidonius, fuit ille cæcus a natiuitate, quem Dominus lutum ex spato faciens et oculos liniens illuminavit, qui et ab aliquibus dicitur fuisse unus ex septuaginta duobus Christi. »

## FERIA QUINTA POST QUARTAM DOMINICAM QUADRAGESIMÆ

VIDEATUR EVANGELIUM DOMINICÆ QUINDECIMÆ POST PENTECOSTEN

## FERIA SEXTA POST QUARTAM DOMINICAM QUADRAGESIMÆ

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. XI, VERS. 1

1. Erat quidam languens Lazarus a Bethania de castello Mariæ et Marthæ, sororis ejus.
2. Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento, et extersit pedes ejus, capillis suis, cuius frater Lazarus infirmabatur.
3. Miserunt ergo sorores ejus ad eum dicentes : Domine, ecce quem amas, infirmatur.
4. Audiens autem Jesus dixit eis : Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.
5. Diligebat autem Jesus Martham et sororem ejus Mariam, et Lazarum.
6. Ut ergo audivit, quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus.
7. Deinde post hæc dixit discipulis suis : Eamus in Judeam iterum.
8. Dicit ei discipuli : Rabbi, nunc querebant te Judæi lapidare, et iterum vadis illuc ?

9. Respondit Jesus : Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulaverit in die, non offendit; quia lucem hujus mundi videt.

10. Si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in eo.

11. Hæc ait, et post hæc dicit eis : Lazarus amicus noster dormit, sed vado, ut a somno excitem eum.

12. Dixerunt ergo discipuli ejus : Domine, si dormit, salvus erit.

13. Dixerat autem Jesus de morte ejus; illi autem putaverunt, quia de dormitione somni diceret.

14. Tunc ego Jesus dixit eis manifeste : Lazarus mortuus est.

15. Et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi, sed eamus ad eum.

16. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Dydimus, ad condiscipulos : Eamus et nos, et moriamur cum eo.

17. Venit itaque Jesus, et invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem.

18. Erat autem Bethania juxta Jerosolimam quasi stadiis quindecim.

19. Multi autem ex Judæis venerant ad Martham, et Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo.

20. Martha ergo ut audivit, quia Jesus venit, occurrit illi, Maria autem domi sedebat.

21. Dixit ergo Martha ad Jesum : Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.

22. Sed et nunc scio quia quæcumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus.

23. Dicit illi Jesus : Resurget frater tuus.

24. Dicit ei Martha : Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die.

25. Dixit ei Jesus : Ego sum resurrectio et vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet.

26. Et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in æternum.

27. Credis hoc? Ait illi : Uti que, Domine, ego credidi quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.

28. Et cum hæc dixisset, abiit et vocavit Mariam sororem suam silentio, dicens : Magister adest, et vocat te.

29. Illa ut audivit, surgit cito, et venit ad eum.

30. Nondum enim venerat Jesus in castellum, sed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha.

31. Judæi ergo qui erant cum ea in domo, et consolabantur eam, cum vidissent Mariam, quia cito surrexit et exiit, secuti sunt eam, dicentes : Quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi.

32. Maria ergo cum venisset, ubi erat Jesus, videns eum, cecidit ad pedes ejus, et dixit ei : Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus.

33. Jesus ergo ut vidit eam plorantem, et Judæos, qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu, et turbavit semetipsum, et dixit :

34. Ubi posuisti eum? Dicit ei : Domine, veni et vide.

35. Et lachrymatus est Jesus.

36. Dixerunt ergo Judæi : Ecce quomodo amabat eum.

37. Quidam autem ex ipsis dixerunt : Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur ?

38. Jesus ergo rursus fremens in semetipso venit ad monumentum. Erat autem spelunca, et lapis superpositus erat ei.

39. Ait Jesus : Tollite lapidem. Dicit ei Martha soror ejus, qui mortuus fuerat : Domine, jam foetet; quatuoriduanus est enim.